



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Triapostolatvs Septemtrionis**

**Caesar, Philipp**

**Coloniæ Agrippinæ, 1642**

1. Qvaliter ab infantia reuelationibus inspiratus, & per visionem à Dei Genitrice Maria ammonitus, vt vanitatem fugeret.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43650**

tit, viam mandatorum Dei sine errore incedere poterit: si quis adhortationes attenderet laqueos inimici praecavere studebit. Huius itaque Sanctissimi Patris memoriam, stylo exactate decreuimus; & qualiter apud nos vixerit, quidq; de eo nobis cognitum extiterit, vestra Reuerentia scriptis inumare; quod & diuinam Clementiam in Beato viro, vestra quoque nobiscum collaudet affectio & imitari volentibus exemplu salutis fiat eius Sanctissima deuotio.

## CAP V T I.

*Qualiter ab infantia, Reuelationibus sit cælitus inspiratus, & per visionem a Dei genitrice Maria ammonitus, ut vanitatem fugeret.*

**H**uius religionis Sanctitas, diuinâ largiente gratiâ, ac ineuine crescere cœpit ætate, & per singula ætatum momenta sui multiplicauit augmenta. Namque ab infantia spiritualibus reuelationibus cœlitus inspiratus, & per Domini gratiam supernâ visitatione est saepius ammonitus, quod mentem suam à terrenis disiungens toto corde cœlestibus inhiaret. Quas quidem Reuelationes ipsis quibusdam nostrum, qui ei familiarius adhærebant innotuerat, eo tamen teriore, ne tempore vitaæ suæ cuiquam manifestarent. Quas nos ad laudem Domini, post obitum eius huic operi interserere elegimus, ut quique legentes agnoscant, quantâ gratiâ Dominus Seruum suum è primæua ætate corrigere, ac dein-

deinceps succedentibus honorum operum  
meritis clarificare dignatus fuerit. Referebat  
namque quod in tempore pueritiæ suæ, cùm  
quinque ferè esset annorum, mater sua in Dei  
timore admodum religiosa defuncta fuerit;  
ac non multo post tempore ipsum pater suus,  
causâ discendi literas, ad scholam miserit. Vbi  
cùm esset positus, cœpit, ut ætati tali familia-  
re est, cum coœuis suis pueriliter agere, & dis-  
cursibus inanibus atque iocis magis operam  
dare, quam descendæ disciplinæ instare. Cum . *Vigilo S. Ansgarij prima*  
que puerili ætati taliter deditus esset, visum  
est ei quadam nocte, quod esset in quodam  
loco nimis lutoſo & lubrico, ita ut inde non  
niſi cum magnâ difficultate exire valeret. Se-  
cūs illum verò locum esse viam amoenissimā,  
in qua videbat procedentein quasi quandam  
Dominam omnij ornatu & honestate præcla-  
ram; plures verò alias fœminas dealbaras,  
cum quibus erat & mater sua. Cumque eam  
recognouisset, cœpit velle ad eam accurrere,  
led loco illo cœnoso & nimis lubrico, non fa-  
cile exire poterat. Chorus autem ille fœmi-  
narum cùm ei appropriasset, visum est illi, tam  
quæ quasi Domina alatum videbatur, quam  
ille indubitanter Sanctam M A R I A M esse  
credebat, ei dixisse: Fili, vis ad matrem tuam  
venire? Cui cùm ille respondisset, inhibanter  
se velle; rursus illa intulit: Si nostræ societa-  
tis particeps eile volueris, omnem debes va-  
nitatem fugere, & iocos pueriles dimittere,

ac te-

ac temetipsum in grauitate vitæ custodire. Valdè enim nos detestamur omnia, quæ vanæ & ociosæ sunt; nec potest in nostro conuentu esse, quicunque his fuerit delectatus. Post hanc itaque visionem statim se cœpit gravius agere, & puerilia consortia vitare; lectioне autem, meditatione, cœterisque utilitatibus artius se occupare, ita ut socij eius valdè mirarentur quod tam subito in aliam mutatus sit conuersationem. Cumque post hæc apud vos tonsoratus, atque in Monasticis disciplinis positus adolescentior fuisset factus, humanâ subrepente fragilitate, aliquantulum cœpit à propositi prioris rigore frigescere.

## CAPUT II.

*Qualiter post mortem Karoli Imperatoris in sancta nocte Pentecostes deductus sit per B. Iohannem Bept.*

*& S. Petrum Apost. primo ad Ignem Purgatorium, deinde ad Majestatem Domini.*

**I**n terim vero contigit, eum Domini excellētissimi Karoli Imperatoris obitum audisse, quem ipse antea in magnâ potentia gloriosum viderat, atque cum magna prudentia Regni sceptra laudabiliter gubernasse audierat. De tanti itaque Imperatoris excessu ipse nimio terrore atque horrore percussus, rursus cœpit ad se redire, & ammonitionis Sanctæ Dei Genitricis ad memoriam verba reducere. Sicque omni postposita leuitate compunctio-